

Admodum R^{de} Domine,

Distuli responsum litteris tuis dare, quoniam non poteram divinare, quo dirigenda esset responsio mea. Literae enim tuae non designabant locum, unde scriptae essent. Itaque quaesivi a Patribus Iesuitis qui hic Romae in collegio anglicano degunt, ubi tu esses, nec per longum tempus quicquam scire potui. Nunc tandem cognovi ex agente archipresbyteri Anglicani, te Bruxellis agere, et eodem fere tempore significatum mihi est a Patribus, te Duaci controversias fidei explicaturum. Nunc igitur respondeo, me egisse cum Summo Pontifice de libro quem adversus Widdringtonum scripsisti, et de eo, quem scribere paras: nec non de persecutione, quam ea de causa passus, et de periculo vitae, quod adivisti et de subsidio, quo in exilio isto indiges. Sanctitas Sua libenti animo audivit omnia, et mihi mandavit, ut Dno Datario nomine suo iniungerem, ut data occasione vacantis beneficii in Belgio, reduceret Sanctitati suae in memoriam personam tuam; cupit enim omnino tibi providere de commoda sustentatione. Ego vero schedulam misi ad Dominum Datarium, qua hoc ipsum mandatum Sanctissimi continetur. Tu vero, mi frater, confortare in Domino, et viriliter pugna contra adversarios veritatis; pugna enim brevi finietur, sed corona sempiterna erit. Vale mei memor in sanctis orationibus tuis. Romae, die 6 Decembris 1612.

Admodum R^{dae} Dom. tuae

Uti frater

R. Card. Bellarminus.

25 Arch. Vatic. Gesuit. 18 fol. 32. Minute autogr. signée.